Bachus, Heinrich

Philosophiae Kantianae quae sit connexio et propinquitas cum philosophia Francogalliae et Angliae XVIII saeculi

PHILOSOPHIAE KANTIANAE
QUAE SIT CONNEXIO ET PROPINQUITAS
CUM PHILOSOPHIA
FRANCOGALLIAE ET ANGLIAE XVIII SAECULI.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM
ORDINIS IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDOS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE III. MENSIS MARTII A. MDCCCLXVI.

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS BACHUS
GELRIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:
IOSEPHUS LIESSEM, PRESB. ET STUD. PHILOL.
IULIUS VAN DER HART, STUD. PHILOL. ET THEOL.
ALBERTUS HAASBACH, STUD. THEOL.

BONNAE
FORMIS I. F. CARTHAUSIANIS.

VIRO

ADMODUM REVERENDO

ANTONIO KLEUTER

PASTORI CRANENBURGENSI

GRATI SUI ANIMI

TESTEM ESSE VULT HUNC LIBELLUM

S.

Praefatio.

Quod in quovis historiae genere observaveris, res ipsas causarum nexu quasi quodam interiori vinculo inter se esse coniunctas, id vel maxime in philosophiae historia animadverti non est quod miremur. Philosophi enim est, quae alii vel priores vel aequales construxere systemata, eorum non solum cognitionem ac rationem habere, verum etiam vim diiudicare, quid veri, quid falsi doceant. Ita vero quum instituat rem, facile evenit, ut et ipse nonnullis prae ceteris magis faveat philosophis eorumque vestigia premat. Tali modo systemata philosophica fieri non potest quin aut alia ab aliis proficiscantur aut aliis alia compleantur. Versari autem in tractandis philosophiae generibus ita, ut simul eorum inter se cohaerentiam perspiciamus, permultum confert tum ad acuendum nostrum ingenium tum ad explananda philosophorum systemata. Iam vero Kantium mihi quidem elegi philosophum quo significavi modo interpretandum, ut *philosophiae Kantianae quae sit connexio et propinquitas cum philosophia Francogalliae et Angliae XVIII saeculi* appareat. Atque tribus rem capitibus absolvere lubet, ita quidem ut

primo de praeambulis quibusdam, scilicet: de origine philosophiae Kantianae, de genere et natura philosophiae Francogallicae et Anglicae, de huiusque apud Kantium auctoritate,

secundo de theoretica Kantii philosophia,

tertio de practica eius parte quaestionem instituamus, quatenus ab re proposita non alienum esse videatur.

Cap. prim.

I.

Leibnitius, a quo philosophiae nostrae initium derivatur, praeterquam quod philosophicis mentis suae vegetae sententiis et ingeniosis et honestis multos igniculos ad enodandas quaestiones metaphysicas reliquit[1]), hoc insuper vel gravissimum praestitit, ut principium quod vocant causalitatis in rerum metaphysicarum doctrinam firmissime induceret itaque peculiari rationis nostrae natura significata a rebus interni nostri sensus dictamine stabilitis ad alias veritates posset pervenire. Quod quum ex multis aliis locis tum hisce ipsius verbis expressis patet:

> „J'ose dire que sans ce grand principe on ne saurait venir à la preuve de l'existence de Dieu ni rendre raison de plusieurs autres verités importantes."

Tamen non ignoramus hoc viri egregii de philosophia meritum absque ulla macula haud integrum remanere, sed multo deminui, quum cognitum habeamus, eum illius principii usum aequo latiorem permisisse quippe falso putantem, omnia ratione duce ex certis causis esse cognoscenda, itaque philosophandi methodum instituisse eam, qua quaevis veritas videretur posse demonstrari.

Etenim Leibnitii premens vestigia Wolffius eam vim illi principio tribuit, ut contendere non dubitaret: „Omnes scientiae a notitiis vulgi originem habent." Quo axiomate

1) Vid. Tennemanni „Geschichte der Philosophie, Lips. 1819", tom. XI, pag. 202—203.

2) Ibidem l. c. pag. 120—22.

3) Ibidem l. c. pag. 120.

innisus syllogismi synthetici forma adhibita systema composuit, quod neque verae philosophandi rationi conveniret nedum satisfaceret et iustas scepticorum dubitationes provocaret, omnino vero hoc duplici vitio laboraret:

1) ut cognitionis humanae realitatem nulla praemissa disquisitione proprie philosophica dogmatice praesumeret,

2) ut intelligendi facultatibus accuratius examinandis nullam daret operam.

Quae philosophiae tractandae mala ratio eo perduxit licentiae, ut de rebus physicis et metaphysicis levissimis dispuraretur argumentis. Quapropter Kantius aegre tulit, aetate sua ex principiis longe inter se dissidentibus fallacibusque systema quoddam coaluisse[1]), cuius praecipuum errorem ὕστερον πρότερον tropus quem vocant convenienter significaret[2]).

Sane ipsum quidem Kantium initio illi Wolffii philosophiae addictum fuisse non miraberis, quum eam omnibus fere in patria philosophis probatam acceptamque inveniret et hanc quoque utilitatem praebere intelligeret, ut sensui communi responderet itaque prohiberet, quominus materialismus sensualismusve et scepticismus in patriam irreperent[3]).

Verumenimvero quamvis bene ipse hanc dogmatismi utilitatem perspexisset[4]), tamen apertae illius philosophiae ineptiae sagacem Kantii mentem haud diu latere decipereque poterant, sed ad philosophiae omnino reformandae consilium studiumque quam vehementissime excitarent necesse fuit, idque eo magis, quum etiam miserrima, in qua Francogalliae et Angliae philosophia iacebat, conditio nova eaque firmiora efflagitaret fundamenta. Itaque Kantius philosophiam sibi proposuit ad meliorem provehendam statum ac rem ita in-

---

1) Kantii „Kritik der practischen Vernunft-Vorrede“, p. 44.
2) Eiusd. „Ueber eine Entdeckung etc.“ p. 7.
3) Rixneri „Geschichte der Philosophie“, 1829, tom. III. p. 209.
4) Kantii „Kritik der reinen Vernunft“, Riga 1827, p. 494—95.

stituit, ut empirismi et intellectualismi systemata inter se plane contraria secum conciliare posse videretur.

At vero illa systemata quum in eum impetu agerent non aequali, sed empirismus longe plurimum in dirigendam eius philosophiam valeret: facili intelligi potest coniectura, fieri non potuisse, quin maior inter hunc et philosophiam Kantianam intercederet rerum convenientia.

Iam quae Kantii cum philosophis, qui in Francogallia et Anglia XVIII saeculo viguere, sit cohaerentia ut penitus intelligatur, prius empirismi systema explicandum nobis esse existimamus ac disquirendum, quibus variis formis exstiterit.

II.

Leibnitii intellectualismo ex diametro, ut ita dicam, opposita erat philosophia Lockii. Qui quod perficiendum sibi sumsit, ut dimetiendis animi facultatibus cognitionis humanae ambitum certis circumscriberet finibus [1]), id ingenio acuto haud scio an nihil dignius sit. Hoc quamquam plane non explicuit, certe tamen meliorem philosophandi methodum ingressus est, quae in eo versabatur, ut scientiis philosophicis firma principia suggereret et errores tum nimiae temeritatis tum vanae dubitationis vitaret [2]). Ille igitur conatus quum ingenii eximii certissimum documentum haberi possit, tum sine ulla dubitatione ad philosophiam accuratius excolendam multum contulit. Negare tamen non possumus, Lockii systema per se et valde fragile esse et fontem, ex quo manarint consecutiones pestiferae [3]). Quae Lockii principio insitae — ab ipso ne praevisae quidem, nedum intentae — naturali rerum nexu explicitae aperte apparebant.

Etenim primarius eius philosophiae error in eo erat positus, quod, quum *nos* animo humano in formandis acqui-

---

1) cf. Tennem. l. c. p. 15.

2) Ibid. p. 17.

3) Ibid. p. 72—73.

rendisque notitiis non solum recipiendi facultatem — receptivitatem quam dicunt — verum etiam spontaneitatem i. e. facultatem sua ipsius vi et natura veritatem inveniendi vindicemus, Lockius contra illam solam facultatem homini tribuit, hac superiori facultate neglecta[1]). Nam quo innitebatur principium vetus „nihil est in intellectu, quod non antea fuerit in sensibus" tum ita accipi potest, ut sensatio sive motus externus sit conditio sine qua nulla possit effici cognitio — id si valet illud principium, addubitari nequit, sed in genere probandum — tum hoc significare solet, ut omnis cognitionis conditiones externae simul sola sint argumenta in quibus versari possit. Eam vero vim si concesseris illi principio, verae ideam philosophiae ignoras, animum in perscrutanda veritate occupatum intra exiguos experientiae terminos coerces quaeque hos terminos excedunt veritates rationi reapse eripis.

Atqui Lockium illi principio posteriorem significationem tribuisse pro certo habemus atque elaborasse, ut demonstraret, omnes hominum scientias ex experientia aut per ipsum sensum externum oriri aut per connexionem disiunctionemve mente factam animum — qui primo aetatis momento tabulae rasae instar haberi deberet — extrinsecus invadere, ita quidem, ut accedente rationis facultate nihil novi accederet argumenti ad rerum perceptarum copiam[2]).

Ergo propria philosophiae Lockianae haec est natura, ut statuat, rerum cognitionem ex uno tantum primario fonte perceptionis sive sensationis esse derivandam; ut igitur solum rerum sensibilium campum mentis acumine disquirendum aperiat[3]), itaque animo nimis coarctato ac quasi in sensuum servitutem abrepto et interiori facultate destituto

---

1) Vid. Tennem. l. c. pag. 72.

2) Lockii „essai philosophique". Amsterdam 1723. livr. II. chap. I. §. 2. 3. 4. et livr. IV. chap. 17. §. 2.

3) Tennem. l. c. p. 293—94.

omnem spem ad veritates metaphysicas progrediendi a priori auferat. Talis omnino secundum huius philosophiae principia animum inter et corpus humanum statuenda est ratio, qualem haud scio an nemo brevius et verius significaverit quam hisce Platnerus:

„Nach Locke ist der Körper des Menschen ein Uhrwerk, woran der Geist angeschnallt ist, um mit jenem Uhrwerke herumgedreht zu werden" [1]).

Quae Lockii doctrina, ut rerum eventu edocti sumus, ad alios quoque errores, ubi primum nullo adhibito principiorum examine recepta fuit, deduxit vario quidem modo, prout Lockii sectatores inter se dissentientes aut id spectabant, ut philosophiam promoverent veritateque potirentur, aut id agebant, ut principiorum infirmitatem tegerent vel etiam confirmando stabilirent [2]).

Attamen haud difficile est ad intelligendum, illos errores propinquitate quadam inter se cohaerere quippe ex eodem falso principio oriundos. Itaque tria omnino systemata a philosophia Lockiana originem duxere:

a) sensualismus,

b) idealismus,

c) scepticismus;

quorum prior in Francogallia percrebuit, alteri duo in Anglia provenerunt.

Proponuntur igitur nobis breviter tractanda haec tria systemata, ut videri possit, quaenam inter unumquodque et philosophiam Kantianam existat connexio et propinquitas.

---

1) Ea prava naturae humanae interpretatio facillime opinionem potuit excitare, propriam et praecipuam eius partem esse corpus, vel etiam universam hominis essentiam in eo consistere, ita ut perfectior tantum bestia haberetur; — quae opinio ab ipso Lockio inscio indicata imprimis in Francogallia, ut sub III. videbimus, disseminabatur.

2) cf. Tennem. l. c. pag. 74.

III.

Philosophia Lockiana tantam apud Francogallos brevi tempore consecuta est auctoritatem, ut vel ab infima plebe reciperetur, nulla fundamenti habita ratione; ut vitae instituendae tanquam norma haberetur, omnibus quam cupidissime erutis consecutionibus. Quare ut rectae philosophandi rationi bene consulerent, tantum abfuit, ut de rebus metaphysicis sententias futiles coniectarent atque in solis rebus externis animum defigerent. Cur id miremur non habemus nobiscum reputantes magnam illorum levitatem, quibus empirismus displicere nullo modo posset. Quin etiam Lockii de deo existente demonstrationem utpote principiis repugnantem improbabant[1]; opinione contra, deum etiam corporibus cogitandi facultatem dare posse, studiose accepta, iam nihil antiquius habebant quam ut ullum animum inter et corpus esse discrimen essentiae constanter negarent, animi immortalitatem errorem involvere putarent, hominem quamquam dominum terrae tamen eadem cum bestiis natura esse praeditum et, nisi perfectior quodam modo esset, nulla prae iis gaudere praestantia existimarent[2].

Solum igitur mundum sensibus subiectum existere et fontem omnium cognitionum esse affirmabant et quae naturam transgrediuntur veritates — libertatem, immortalitatem — aut prorsus negabant aut vanam tantum earum umbram retinebant; ac tali modo omne honestatis fundamentum et

---

1) Lockii de deo existente argumentationem etiam Kantius reprobat in suo opere „Kritik der reinen Vernunft" pag. 880; recte quidem, quoniam menti sive facultati reflexionis sensibilium tantum campus rerum subiacet discurrendus, neque vero etiam rerum metaphysicarum.

2) Altius vanae eae opiniones repetendae sunt a principio Lockii fundamentali, secundum quod animus in cognoscendo a sensatione pendeat, itaque peculiari sua vi privatus solum sensuum quoddam additamentum haud ita magni momenti evadere videatur.

firmissima adminicula demebant[1]. Ita quum ipsis viris doctrinae christianae deditis, veluti Condillaco, Bonnetio aliisque empirismi illae consecutiones probarentur[2], superfuit tantum, ut Encyclopaedistae qui nominantur illos errores pervulgarent et communi omnium sensui accomodarent[3]. Id quod Didcrotio, D'Alemberto, aliis bene cessit; quorum summa doctrina eodem cum Lockio conspicitur inniti principio[4].

Omnes denique errores empirismo inhaerentes collectos reperis in illo turpissimo libro qui inscriptus est: „système de la nature," cuius auctor in Encyclopaedistarum doctrina insistens licentiam omni lege solutam sequendam esse censuit, quaelibet sensus concupiscerent praeciperentve peragenda, ceterum perniciosissimam hanc propagavit sententiam:

„Praeter materiam et motum nihil existere eaque sola sufficere, quibus totus rerum ordo, etiam actus interni penitus cognosci possent; libertatem et immortalitatem dementia quadam esse fictam; dei denique ideam superstitione in animos irrepsisse"[5].

Hoc modo sensualismus et, quae cum eo arcte coniunctae sunt, turpitudo vitae et morum perversitas etiam infimam plebem adierunt ac maiorem vim obtinuerunt, quam quas Russavii de deo et libertate et immortalitate doctrina comprimere posset[6].

IV.

Empirismus in Angliae philosophos vim tam positive

1) cf. Tennem. l. c. pag. 284, pag. 70, pag. 312. — dein Rixn. l. c. § 94.

2) vid. Tennem. l. c. pag. 289.

3) ibidem l. c. pag. 315.

4) ibid. l. c pag. 73.

5) ibid. l. c. pag. 320—21.

6) Rixn. l. c. pag. 203.

perniciosam ut haberet multum abfuit. Hi enim non iacturam fecerunt idearum metaphysicarum, sed magni eas usque habentes elaborarunt, ut eas cum empirismi principiis conciliarent. Quo factum est, ut morum pravitas religionisque contemtio non tanta cum procacia ingravescerent, quanta in Francogallia [1]). Attamen in Anglia ex empirismo alia duo systemata deinceps orta sunt, quorum prior occurrit idealismus.

Etenim Berkleius fundamentale philosophiae Lockianae axioma, omnem cognitionem ab sensatione ut primario fonte esse petendam, amplexatus ex empirismo mysticum evolvit idealismum. Nimirum si omnis cognitio ad sensuum perceptionem reducenda est, rerum sensibilium cognitio ut certa et realis evadat, accedente nova sensatione comprobetur et evincatur necesse est. Atqui ea cognitio, ubi primum animum ingressa est, ulla subsequente sensatione confirmari omnino nequit. Ergo omnes de rerum externarum realitate cognitiones non obiectivum, sed solum subiectivum valorem habent; ideo res ipsae num revera sint, dubitare poteris ac potius in nobis quam extra nos existere dicuntur.

Quare quum Lockius minime sibi constans rerum sensibilium motu primum sensus tum animum affici docuisset: Berkleius hanc sententiam reprobavit, quoniam non solum nulla ei ratio suffragari posset, sed etiam absurdum esset existimare, animum moveri impetu earum rerum, quae longe diversi ab eo generis essent. Itaque mundi externi obiectiva realitate pernegata, omnem sensationem a deo ipso animo humano esse insitam ratus ex nostris repraesentationibus mundum quendam realem composuit [1]).

Quae doctrina licet Anglorum indoli ac studio parum conveniret nullamque auctoritatem adipisci posset, eam tamen vim habuit, ut demonstraret, empirismum Lockianum immediate ac necessario perducere ad idealismum.

---

1) Rixn. l. c. § 54; Tennem. l. c. pag. 414.

V.

Alterum, quod empirismum in Anglia subsequutum est, systema scepticismi ab Humio auctore initium cepit. Is enim, qui de vagarum sententiarum inconstantia, de perpetuis philosophorum dissensionibus cogitans aliam philosophandi rationem ineundam esse statueret, Lockii de origine cognitionum doctrinam, principiorum natura non examinata, recepit atque quae in illa doctrina inerant consecutiones eximia iudicii subtilitate explicavit. — Ut Lockius, ita Humius quoque solam perceptionem ut fontem cognitionum admisit omnesque notitias, quibus argumentum vere obiectivum responderet, ad sensuum impressionem referendas esse docuit, mentem denique, quantumvis valere videretur, tamen in hoc uno occupari, ut res sensibus subiectas perceptioneque sibi oblatas certis legibus coniungeret [1]).

Quo eodem principio exstructus Lockiano acuti ingenii vir propriam viam persecutus imprimis intelligere studebat, quatenus secundum illud principiam nostra de animi, mundi deique existentia ac natura opinio realis haberi posset. Itaque in hoc elaborabat solvendo [2]):

„Quanam ratione persuasum nobis habemus, nostras ideas ad obiecta realia esse referendas, quae etiam commutatis ideis per se realiter existant et sibi constent et naturali certo ordine inter se connexa sint?“

Ad istam quaestionem gravissimam argumentatio certe subtilis negative respondit, nullam omnino esse cognitionem obiectivam, exiguis animum humanum coerceri terminis repraesentationum subiective coniunctarum [3]).

Iam antecesserat, qui idealismo suo ad scepticismum viam pararet, Berkleius. Qua via Humius firmo ac certo

---

1) Tennem. l. c. pag. 464.

2) Ibidem l. c. pag. 427.

3) Rixn. l. c. § 113.

quasi gradu procedens ulterius non solum scientias metaphysicas in dubium vocavit atque, ut ratio humana ipsa sibi diffideret, effecit, sed etiam totum philosophiae, ut ita dicam, aedificium labefactavit, quippe qui in ipsum eius fundamentum impetum faceret demonstrando, philosophica empirismi methodo ne ipsi quidem experientiae ullam vim obiectivam posse tribui [1]). Argumentatio nimirum haec est Humii [2]):

„Ab impressionibus ad cognitionem, cuiusvis generis res externas revera existere, solum principium causalitatis nos perducit — (propositio mai.);

atqui huius principii universum et obiectivum pondus neque a priori neque a posteriori cognitum habemus; contra nihil aliud est nisi lex consuetudine inducta ideoque falso ficta, quae a repraesentationum successione vim quandam petat – (prop. minor.);

ergo, quum, ut Kantius ait, ex pumice aqua postulari nequeat [3]), certam veritatem obiective realem acquirere nullo modo possumus. Itaque mundus aenigma est ac mysterium, quod ne summo quidem mentis acumine explicare valeamus. Num repraesentationes rerum vere existentium motu in animo nostro excitentur nescimus, quoniam repraesentationum tantum nobis conscii sumus neque etiam causarum eas moventium. Itaque disquisitio quam accuratissime facta nos admonet, ut omne de rerum realitate iudicium cohibeamus vel suspendamus in dubioque relinquamus — (conclus.) —

Ut vero res externas et factas, ita etiam, si sibi constrare velit, internas et metaphysicas intelligentia nostra attingi non posse debet contendere. Nam quum de internis impressio fieri nequeat, de iis si cogitares, ridiculum

1) cf. Tennem. l. c. pag. 428.

2) Ibid. l. c. pag 433—36. — Kantii „Kritik der reinen Vernunft. pag. 788.

3) Kantii „Kritik der practischen Vernunft. Vorrede. pag. 24.

foret. Itaque secundum Humium animus humanus fieri non potest quin repraesentationum copia obruatur et perturbetur [1]; et utrum sit immaterialis immortalisque an materialis mortalisque quaestio iam non moveri potest. Postremo si nexus rerum in solis animi repraesentationibus inhaereat neque etiam in rebus ipsis, ratione duce efficere prorsus non possumus, deum supremum vere esse, idque credere ineptum videtur.

Iam satis elucet, quomodo ex philosophia Lockiana perfectum in omnibus rebus scepticismum oriri necesse fuerit [2]; itaque ad cognitionem prosperam pervenimus, eam falsis inniti principiis seque ipsam refutare. Atque haud difficile est ad intelligendum, Humium de philosophia promovenda eo ipso optime meritum esse, quod ex concessis sagaciter et acute absurda deducendo aperte et sincere ex empirismo consecutiones ineptas eruit ideoque funditus eum subvertit [3]. Nam probe intellexit Humius, suum ipsius systema empirismo innisum rerum natura refelli, quae plus valeret, quam subtilissima quaeque philosophandi methodus, et quae omnes de veritatibus dubitationes reapse amoveret.

Quare philosophico tantum scepticismo deditus in praxi ad vitam instituendam moderandamque recepit dogmatismum. Sed eam ipsam ob rem quaesiveris, quibusnam de causis Humius ceteroquin ingeniosus non intellexerit, iudicia sua recte quidem consequentia, at cum omnium fide et rerum ordine non congruentia e falso manare principio. Profecto mireris, quod argumentatio ex concessis omnino

1) Quod Platnerus — „Philosophische Aphorismen — Leipzig 1793" — tom. I. pag. 90 — hisce innuit: „Hume hält das Selbstgefühl für einen Haufen von Vorstellungen; der Hauptgrund, wesshalb er eine anschauliche Vorstellung der Seele von sich selbst nicht glaubt, ist, weil er eine sogenannte Impression dazu erfordert etc.

2) vid. Kantii „Kritik der pract. Vernunft-Vorrede" pag. 88, 91.

3) Ibidem l. c. pag. 465.

recte facta eum non adduxerit, ut inquisitionem funditus novam institueret. Cur igitur philosophiae suae fundamento diffidere non induxit animum[1]?

Respondemus, eum pro propria sui ingenii natura magis e praemissis consectaria eruere studuisse atque in deducendis potius vel comparandis difficultatibus versatum esse, quam in dissolvendis, tum simul nimia philosophiae Lockianae apud omnes auctoritate impeditum fuisse, quominus eius principiis diffideret; itaque eum in terminis scepticismi ut opportunae methodi acquievisse[2]).

Attamen, quamquam de gloria, cuius consequendae proxima ei oblata erat occasio, non cogitavit, id certe praestitisse dicendus est, ut posteris persuaderet, empirismum ad absurdum ducere neque certam esse viam, qua veritates necessarias ratio humana stabilire posset, utque ita ad philosophiam penitus reformandam novisque principiis exstruendam manifeste impelleret[3]).

Neque vero in sua ipsius patria hanc philosophiae regenerationem exoptatam provocavit, quum ibi eius doctrinae repugnarent quidem acerbissime, at non a fonte, unde profluxerat, proficiscerentur. Nam adversarii: Reidius, Oswaldius, Beathius, Priestleius: ea, de quibus ut dubiis disputationem instituendam esse censebat Humius, concessa et iam absoluta existimabant; quae vero unquam in dubium vocare illi in mentem minime venerat, ea acriter studebant demonstrare ad sensum communem tanquam ad oraculum provocantes[4]).

Itaque Kantio relictum est, ut eam, quam Humius satis

---

1) Kantii „Kritik der pract. Vern." pag. 465.

2) Ibidem l. c. pag. 466.

3) cf Tennem. l. c. pag. 467.

4) Kantii „Prolegomena zu einer jeden künftigen Metaphysik. Riga 1783." pag. 9 sq. — Rixn. l. c. §. 113.

significaverat, viam longius persequeretur philosophiaeque funditus renovandae quam maximam daret operam.

VI.

Kantium constat Humii de philosophia provehenda merita laudibus extulisse, non ita quidem, quasi eius dubitationibus assentiretur [1], sed idcirco quod perspectum haberet, eius de rebus philosophicis doctrinam e principiis concessis et ubique receptis recta conclusione esse derivatam omnesque adversariorum argumentationes praesumtis potius opinionibus quam rationibus fulciri vere philosophicis. Neque vero temere iudicabat Kantius, Humium dogmatismi arrogantiam insolentiamque castigasse et philosophos vehementer admonuisse, ut maiore cautione adhibita rationibus validis veritates metaphysicas confirmarent [2], eo denique eum perduxisse, ubi acquiesci non deberet; sed unde certa via porro persequenda peti posset [3]. Praeterquam vero, quod Humius errores longe lateque dispersos manifestavisset, Kantius etiam eam illius prae ceteris philosophis praestantiam praedicat, qua positive aliqua ex parte de veritate investiganda meruisset. Haec enim apud eum leguntur [4]:

„In Ansehung des Schicksals der Metaphysik hätte keine Begebenheit entscheidender werden können als der Angriff, den David Hume auf dieselbe machte; er schlug einen Funken, bei dem man wohl ein Licht hätte anzünden können, wenn er einen empfänglichen Zunder getroffen hätte, dessen Glimmen sorgfältig wäre unterhalten worden";

omissis aliis locis, ubi eum veritatis vestigia indicasse contendit. Quare philosophiae Humianae etiam maiorem prae

---

1) Kantii „Prolegomena etc." pag. 13.

2) Eiusd.: „Kritik der reinen Vernunft" pag. 796—97.

3) Ibidem, pag. 789.

4) vid. Kant. „Prolegomena etc." pag. 7.

ceteris systematis rationem se habuisse ipse profitetur hisce[1]):

„Ich gestehe frei, dass die Erinnerung des David Hume eben dasjenige war, was mir vor vielen Jahren den dogmatischen Schlummer unterbrach und meinen Untersuchungen im Felde der Speculation eine ganz andere Richtung gab.“

Quae verba suspicionem excitant, quantumvis ab Humii systemate abhorrere sibi videatur, ab hoc certe eum exordium petivisse huicque suam philosophiam propius annexisse. Id ita se habere ut melius intelligatur, quaestionem enodandam nobis putamus, quinam fuerit ille philosophiae Humianae igniculus, ab quo lucem se accepisse affirmat Kantius.

Iam, ut supra apparuit, Humius id praecipue perscrutandum sibi ratus, quo iure notionibus mente conceptis obiectum aliquod respondere contenderetur, persuadere est periclitatus, omnia principia, quibus a priori realem inter notiones et repraesentata rationem intercedere existimarent philosophi, nonnisi leges esse ex observando rerum ordine abstractas, itaque ex consuetudine falso esse inducta. Quod ut nobis evinceret, ad connexionem, quae causam inter et effectum statui soleret, provocasse eum vidimus eique connexioni vim mere subiectivam permisisse indeque temere eum effecisse, cetera quoque principia, quae animo a priori innata haberentur, omnino a posteriori esse deducta itaque nos ab una realitate ad alias procedere sola animi interiori vi nequaquam posse[2]).

In qua quidem argumentatione Kantius id vitio vertendum esse putavit, quod solum principium causalitatis examinasset Humius eiusque valore obiectivo negato persuasum sibi habuisset, nullo modo repraesentationum inter

1) Kantii „Prolegomena etc.“ pag. 13.

2) ibid. pag. 8.

se rationem vere obiectivam posse intelligi; quod igitur denegatis iis, quae consequi non possumus, animum omni omnino facultate destituisset ullam cognitionem obiective realem acquirendi; quod porro ipsam animi naturam et vim non totam in aestimationem adduxisset; ne multa, quod dubitationes suas iis, quae casu eveniunt (quae per accidens fieri solent) confirmasset, non vero principiis probatis [1]).

Quare Kantius nihil antiquius se habere putavit quam ut quaestionem de iudiciis syntheticis eorumque vi obiectiva ab Humio in concreto conceptam accuratius solveret, eam quidem generaliter sic expressam, *quomodo iudiciorum synthesis a priori fieri posset*, atque ad hunc finem eam viam iniret, qua doctrinam suam principiis firmis fulciret [2]).

Ex his apparet, Humium non solum magna in Kantium valuisse auctoritate, sed etiam eandem fere inter utrumque exordii petitionem intercedere, ita ut dicere possimus, Kantium quaestionem ab Humio significatam quidem, sed parum accurate absolutam vel potius in incerto relictam recepisse receptamque plane pro animi facultatibus solvendam sibi sumsisse.

VII.

Quamquam imprimis philosophia Humiana Kantii problema provocavit plurimumque in eius doctrinam constituendam iamque inde ab initio dirigendam valuit; tamen etiam alios empirismi patronos quum Angliae tum Francogalliae ullius in eum fuisse momenti ut negemus multum abest. Etenim per se manifestum est, quum Humii doctrinam ex empirismo bene perspexisset profectam, eum ceterorum quoque empiristarum notitiam habuisse ac rationem

1) Kant. „Kritik der reinen Vernunft", pag. 795.

2) Eiusd. „Prolegomena etc." pag. 13—14.

Cuius rei historiam insuper testem habemus. Nam ut primum Encyclopaedistarum philosophia tam vilis et vana latius in dies percrebruit et alias civitates invadere coepit, quin etiam in Borussia Friderici Magni litteris Francogallorum et studiis nimis faventis gratiam atque auctoritatem nacta, postremo in universali quae vocatur bibliotheca germanica auctore Nicolao redintegrata novoque vigore est potita: fieri non potuit quin etiam Kantius eius erroribus quodammodo inficeretur [1]). Praecipue vero eum ad Russavii doctrinam animum advertisse constat. Herderus enim in sua „metakritica" testatur, Russavii opera tum in lucem edita, quorum alterum inscribitur „Heloise", alterum „Emil", diligenter Kantium legisse [2]). Neque vero reliquis Francogallis Kantium iniquum se praebuisse legimus; contra, ut alios negligamus, Montesquievii sententias bene novit. Firmius tamen huius rei documentum sub XVI afferemus, ubi demonstrabimus, quae r e r u m propinquitas inter illorum et Kantii philosophiam appareat.

Cap. secund.

De theoretica philosophiae Kantianae parte.

VIII.

Kantius quum respexisset, quae de iudiciorum syntheticorum vi necessaria et obiectiva philosophi priores sentirent, reperit, eos de hac quaestione solvenda cogitasse quidem, at nihil docuisse, quod Humio aut sibi ipsi satisfaceret. Nullum enim eousque principium investigatum erat, quo iudicari posset, quae cognitiones absolute essent obiectivae. Duas omnino vias initas vidit ad inveniendas eiusmodi cognitiones, alteram a Leibnitio eiusque schola, alte-

1) cf. Rixn. l. c. § 106.
2) Ibidem l. c. § 129.

ram a Lockio eiusque sociis. Leibnitius statuit, illas cognitiones animo humano esse innatas, quippe qui ita esset constitutus, ut nisi secundum eiusmodi leges non cogitaret, cum quibus res ipsae non congruere non possent. Id Leibnitii placitum quas ineptias quantumque detrimentum philosophiae conflaverit, cognitum iam habemus ex num. I — Lockius alter contendit, illas cognotiones pariter atque unamquamque repraesentationem ex experientia originem habere, secundum leges tum inductionis tum analogiae. In qua argumentatione non solum inest petitio principii, quum eae leges nisi suggestis iudiciis obiectivis non constent, sed etiam origo fundamentumque scepticismi, ut supra sub V. exposuimus. Quare Kantius neque dogmatismo addictus, quo nihil acquiri, neque empirismo, quo nihil sperari posset [1]), aliam rationem ingredi animum induxit, qua illa systemata ex diametro quasi sibi opposita sibi invicem conciliaret ac confusiones tenebrasque dimoveret; talem scilicet rationem, qua inter utrumque systema media uni demtum alteri subiungeret [2]). Etenim ut uberius disseramus, *intellectualismo*, qui sola aprioritate cognitionum statuta omnem sensationis vel experientiae valorem abstulit atque solum ipsum animum tanquam cognitionum fontem habuit, *animi* ut ita dicam *obiectivitatem* abstraxit i. e. eam vim, qua praeter formam etiam materiam omnis cognitionis in se contineret, contra *empirismo*, qui ex una experientia cognitiones esse hauriendas censuit itaque praeter earum materiam etiam formam inde sumsit, quae ambae in animo tanquam in speculo refulgerent, *experientiae subiectivitatem* i. e. vim formativam demsit. Itaque ab intellectualismo subiectivitatem animi, ab empirismo obiectivitatem naturae retinuit Kantius, quibus coniunctis hoc duplex eius axioma ortum est [3]):

1) cf. Kant.: „Prolegomena“ etc. pag. 38.
2) Ibidem pag. 180.
3) Kant. „Kritik der reinen Vernunft“, pag. 33—35; pag. 74—75, 326—27.

1) materiam forma carentem sensibus offerri in externa rerum natura, formam materiae attribuendam inveniri in animi natura;

2) omnem cognitionem, cui obiectum sensibile responderet, veram esse habendam, quamlibet aliam fictam et falsam.

Huiusmodi duplici axiomate instructus Kantius speravit quidem fore ut intellectualismus cum empirismo coniungeretur; attamen haec spes longe eum fefellit. Nam propriam et animi et naturae vim perperam interpretatus quae hanc inter et illum ratio esset prave iudicabat. *Nobis* quidem quum probetur, tum animum non solam formam esse argumentis vacuam, sed etiam principium, ex quo, certe extrinsecus excitando, hauriantur certa cognitionis obiecta, tum naturae non esse solam eam vim, ut sit materia inanimata atque informis, sed et eam vim, ut formae vitaeque sit particeps; atque eam inter animum et materiam intercedere coniunctionem, ut, quae haec offert obiecta, ille firmis rationibus absque ullo dubio vera esse existimet: *Kantio* contra placuit, et animi et naturae vim deminuere, unam utrique diversam quidem, sed necessariam qualitatem denegare atque ita efficere, ut utriusque essentia atque etiam existentia nullo posset modo intelligi neque ulla omnino veritate potiri valeremus.

Ex quibus patet, Kantii axioma fundamentale non ita longe alienum esse a summo empirismi principio. Etenim quemadmodum Lockius a veteri principio: „nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensibus“ viam suam petiverat: ita Kantius quoque omnem cognitionem ad res sensibus subiectas referendam esse sensebat, id quod in exordio suae criticae profiteri non dubitabat[1]).

Certe Kantius a Lockio ita differt, ut etiam cognitiones, quae in ipsius animi peculiari natura inhaereant, ad-

1) vid. Kant. „Kritik der reinen Vernunft“, pag. 1.

mittat[1]); at id ullius momenti esse nequit, quoniam secundum illud axioma hae cognitiones per se vanae et vacuae tum demum veri quid continent, quum sensus iis obiectum reale praebuerint.

Tum inter Kantium et Lockium hoc discrimen videtur esse, quod hic praeter materiam etiam realem formam naturae vindicavit, secus Kantius. At iam Humius maxime sibi constans naturae formam ut ipsi propriam in dubium vocavit atque eam consuetudine subiectiva rebus ipsis usurpari putavit, ita ut Humio intercedente Lockius ad Kantium proxime accedat.

Postremo videri facile potest, Kantium in illo axiomate statuendo idem peccasse quod Humio exprobravit. Nam sicuti Humius quaestionem illam — quomodo iudicia synthetica obiectiva a priori formari possent — parum accurate et ambitu iusto strictiori solvit, id quod Kantius magnopere vituperat; ita hic ipse eandem quaestionem suo axiomate finibus iusto arctioribus circumscribit atque in eam convertit: quomodo iudicia *de rebus sensibilibus* synthetica a priori formari debeant. Quod apud Rixnerum ita notatum deprehendimus[2]:

„Kant begegnete bei Feststellung des Begriffes und des Wesens der Philosophie dasselbe, was er an Hume tadelte, dass er, anstatt zu fragen, was wir überhaupt a priori wissen mögen, nur darauf sich beschränkte zu fragen, wie synthetische Urtheile a priori über *Gegenstände der Erfahrung* möglich wären, wodurch er der Vernunft die blosse Erklärung der Erfahrungswelt allein als Aufgabe anwies und ihr auch anderseits alle Möglichkeit der Erkenntniss des Uebersinnlichen absprach."

---

1) Kantii „Kritik der reinen Vernunft", pag. 3—6.
2) cf. Rixn. l. c. § 137.

Cui eidem sententiae iisdem fere verbis Hegelius suffragatur [1]).

IX.

Quidnam componendo suo systemate philosophico Kantius proficere intenderit, saepius commemoravimus. Eum enim praecipue in hac re operam suam collocavisse cognovimus, ut totam animi vim aestimaret facultatumque nostrarum ambitum quam accuratissime examinaret.

Quem vero eundem conatum et Lockius fecit, qui miserrima philososhiae conditione aeque ac Kantius commotus principia statuere studebat, quibus intelligentiae humanae facultatem dimetiretur eiusque usum rectis terminis circumscriberet [2]).

Sane Kantius latius argumentum atque uberius pertractandum sibi proposuisse videtur, quoniam etiam rationem humanam a Lockio neglectam in aestimationem adduxerit, quare et ipse illius philosophiam „Physiologie des menschlichen Verstandes" appellavit [3]), suum vero systema „Kritik der reinen Vernunft." —

Tamen haec inter utrumque discrepantia, ut infra sub XII demonstrabitur, nulla haberi potest; quin imo vera sunt verba Hegelii [4]):

„Dieselben Worte, die bei Locke in der Einleitung zu seinem Versuche den Zweck seines Unternehmens angeben, nämlich die Fähikeit des *Verstandes*, den Horizont und die Scheidegrenzen seiner Erkenntnisse zn bestimmen, könnte man auch in der Einleitnng zur Kantischen Philosophie lesen, welche sich gleichfalls inner-

---

1) vid. Hegelii opera — Berol. 1845 — tom. I. pag. 20.

2) cf. Tennem. l. c pag. 17; Platn. l. c. pag. 334.

3) cf. Kantii „Kritik der reinen Vernunft-Vorrede."

4) vid. Hegelii „opera" l. c. pag. 20.

halb des Locke'schen Zweckes, nämlich der Betrachtung des endlichen *Verstandes*, einschränkt".

Neque vero ab ipso Humii studio Kantius ita longe differt. Nam sicuti ille, ita et Kantius in hunc proximum finem philosophiam suam direxit, ut dogmatismi errores refutaret atque opprimeret. Itaque non positivum construxit systema, sed philosophiam mere negativam proposuit. Quam ob rem Kantii meritis haud scio an quidquam detrahamus, si criticam rationis ab eo conscriptam censuram, ut ipse Humii philosophiam vocat, certe pluribus numeris absolutam habeamus [1]).

Quodsi vero Humium vituperavit, eum scepticismum pro recta de rebus metaphysicis doctrina habuisse [2]); in ipsum quoque eandem culpam cadere nemo non videt, quippe quum philosophiam suam negativam unice esse probatam saepius glorietur [3]).

X.

Iam ad ipsum philosophiae Kantianae systema perspiciendum accedentes inde disputationem nostram incipiamus necesse est, unde omnis philosophia proficisci solet, *a notione veritatis.* Quum usque ad id tempus haec notio ita concipi soleret, ut veritas esset consonantia repraesentationum cum repraesentatis, itaque homo cogitans suum ipsius „Ego" excedere atque ad alia entia realia pervenire posset: Kantius veterem illam definitionem ut falsam reprobans aliam definitionem statuendam esse censebat, eam quidem, ut esset veritas *consonantia cognitionis cum legibus cognoscendi* [4]). Quam quibus rationibus confirmare periclitatus sit perscrutari

---

1) Id indicant ipsa Kantii verba quae leguntur „Kritik der rein. Vern." pag. 789.

2) cf. Kant. „prolegom." pag. 8 annot.

3) cf. Rixn. l. c. pag. 286—287.

4) vid. Kant. Krit. der rein. Vern. pag. 82—85.

supersedeamus, quum persuasum nobis esse sufficiat, hanc definitionem et communi vocis usui quam vehementissime repugnare neque cum studio veritatis investigandae convenire, quoniam ita veritas omnino per se cognosceretur omnisque eius inveniendae opera supervacanea foret. Gravioris vero momenti est, quod haec definitio privativa in totam eius philosophiam moderandam valebat. Nam

1) secundum eiusmodi definitionem hominis „Ego" sola est auctoritas quae in rerum universitate pollet, quasi divina essentia potentiaque praedita; rerum politicarum et ecclesiasticarum ordo subvertitur; dissidia singulorum inter se hominum quin excitentur fieri non potest — quoniam quodvis obiectum et quod ei subiacet ens reale omni valore destituitur totque omnino sunt veritates quot diversa subiecta quotque diversi eiusdem subiecti status; tum

2) illa definitio ad ullam aliam praeter subiectum realitatem acquirendam nos provehere nequit, quum sui ipsius quisque cognitionem superare non possit.

Haec omnia, quae illam definitionem subsequuntur, philosophiae Kantianae indolem ac naturam propriam aperte significabant.

Iam vero quod ad illam definitionem attinet, Kantium primum eam sic concepisse non negamus. Attamen eius vestigia iam apud Lockium reperimus. Nam et hic veritatis et realitatis ambitum ita coarctaverat, ut veritas esset *convenientia verborum cum significandis repraesentationibus*, itaque analytica evaderet et subiectiva [1]). Nimirum igitur apud eum deprehendimus verba, quibus veritatem cognitionemque nihil aliu d esse innuat nisi subiectivum iudicium logicum, v. g. [2]):

„Puisque l'esprit n'a point d'autre obiet de ses pensèes

---

1) cf. Tennem. l. c. pag. 73; — Lock. l. c. livr. IV. chap. § 2.
2) vid. Lock. l. c. livr. IV. chap. I. § 1.

et de ses raisonnements que ses propres idées, qui sont la seule chose qu'il contemple ou qu'il puisse contempler, il est évident que ce n'est que sur nos mêmes que roule notre connaissance."

Dein vero Lockius propter suae philosophiae placitum fundamentale valorem veritatis obiectivum non potuit tueri. Quapropter Humius de veritate obiectiva i. e. de realitate nos certos fieri posse negavit. Itaque aliqua Kantii cum prioribus philosophis in concipienda veritatis natura propinquitas concedenda esse videtur.

XI.

Munitus destructiva quam explicavimus definitione veritatis Kantius ut ita dicam arenoso fundamento [1]) suam de rebus philosophice cognoscendis doctrinam superstruit, primum hunc syllogismum proponens [2]):

> Omnis immediata cognitio sensuum est perceptio, mediata ad perceptionem reducenda est; sensu quidem externo res intuemur, prout spatio inter se cohaerent, interno, prout tempore sese excipiunt. His solis formis, spatio et tempore, omnia intuemur — prop. maior —
> Atqui hae formae ad modum tantum intuendi nostrum pertinent neque ullam realitatem habent in nobismetipsis intuentibus — prop. min. —
> Ergo omnia, quae intuemur indeque cogitamus, realitatis vim habent in solo subiecto intuente; neque vero res ipsas (νοούμενα), quarum omnino ignoramus qualitates, intuemur, sed sola φαινόμενα i. e. repraesentationes nobis ipsis inhaerentes — conclus. —

Cuius quidem argumentationis, quamquam principiis subiectivis optime convenientis, ea est natura, ut *idealis-*

---

1) cf. Rixn. l. c. pag. 310.

2) vid. Kant. Krit. der rein. Vern. pag. 33—37.

mum subiectivum et *apertum nihilismum* nobis offerat recipiendum. Ipse Kantius eum „idealismum transscendentalem" vocat, quo realismum empiricum salvum esse velit. At non videtur, quomodo iam de realismo cogitare potuerit, quum repraesentationes transgredi non liceat [1]).

Sane in dogmate statuendo, et subiectum cogitans et obiectum repraesentatum sine dubio esse entia realia, realismum retinet; at propter id ipsum inconstantiae et difficultatibus sese implicat, quum idealismum — quamquam imperfectum — rebus ipsis adiungat, ita ut Iacobius summo iure contendat [2]):

> „Der Kantische Philosoph verlässt ganz den Geist seines Systemes, wenn er von den Gegenständen sagt, dass sie Eindrücke auf die Sinne machen, dadurch Empfindungen erregen und auf diese Weise Vorstellungen zu Wege bringen. Und doch lässt sich ohne diese Voraussetzung kein Eingang zu der Kantischen Philosophie finden, ... und von der andern Seite lässt sich auch mit dieser Voraussetzung nicht in dem Kantischen Systeme verbleiben."

Qui philosophiam Kantianam secuti atque interpretati sunt, magnam eius defendendae difficultatem inde fore oriundam bene senserunt [3]). Quare partim res ipsas, a quibus Kantius erat profectns, tanquam iniquum importunumque „hors d'oeuvre" considerabant et quam maxima opera elaborabant, ut eas abiicerent [4]); partim eas earumque ad cognoscendum vim tanquam adminicula ad tempus suggesta habebant, quae etiam aedificio ad finem perducto vir egregius, ut imbecillis bene consuleret, remanere vellet.

---

1) cf. Platn. l. c. Einleitung. pag. X.

2) Iacobii opera — Lips. 1815 — tom. II. pag. 301.

3) vid. Reinhold. l. c. tom. II. pag. 70.

5) vid. Garvii „Uebersetzung und Erläuterung der Ethik des Aristoteles — Bresl. 1798 — tom. I. pag. 189.

Eius vero doctrinae Kantianae quid simile apud Lockium eiusque socios reperimus?

Lockius ipse rerum externarum obiectivitatem et realitatem haud ita facile negare poterat, sed re vera impressiones simplices quas vocabat ad reales rerum qualitates referebat [1]). Tamen quum philosophiam suam in perceptione ut solo certo fundamento collocaret, itaquae rerum externarum existentiam sola sensationis via cognosci posse doceret [2]), illarum qualitatum obiectivam vim in dubium vocavit, spatii et temporis formas ut rebus ipsis inhaerentes in controversiam adduxit, quoniam ad singulos percipientes aptari debebant [3]). Id et Lockium obscure sensisse, ex eo colligimus, quod rerum externarum existentiam, posteaquam cognitionum realitatem comprobavit, argumentis confirmare necesse putavit [4]).

Sed quod ipse in incerto reliquit neque aperte ex suis principiis evolvit, id Berkleius, ut vidimus, illius summo principio insistens, suo systemate confirmare studuit, secundum quod rerum qualitates soli nostrae sensationi insunt.

Ex his elucet, philosophiam Kantianam, quatenus idealismum continet, esse propinquam cum idealismo, qui Lockii empirismum subsecutus est, et pariter, ac Berkleius ad eum pervenerat, Kantium eodem principio ad eum perductum esse. Quare cum Hegelio [5]) Kantii idealismum Lockeanismum quodammodo amplificatum ac completum habere possumus.

Sane Kantius in rerum capite a Berkleio dissidere videtur dicendo [6]):

---

1) cf. Lock. l. c. livr. II. chap. XXX. § 2.

2) Ibid. livr. IV. chap. XI. § 1.

3) vid. Tennem. l c. pag. 72; — tum Reinhold. l. c. tom. I. pag. 516.

4) cf. Tennem. l. c. pag. 398.

5) vid. Hegelium l. c. pag. 31.

6) Kant.: „prolegom." pag. 205.

„Der Satz aller ächten Idealisten von der eleatischen Schule an bis auf Berkley ist in dieser Formel enthalten: „„ Alle Erkentniss durch Sinne und Erfahrung ist nichts als lauter Schein, und nur in den Ideen des reinen Verstandes und der Vernunft ist Wahrheit.“ “ Der Grundsatz, der meinen Idealismus durchgängig bestimmt, ist dagegen: „Alle Erkenntniss von Dingen aus blossem reinem Verstande oder reiner Vernunft ist nichts als lauter Schein und nur in der Erfahrung ist Wahrheit.“ “ —

Attamen hoc discrimen speciosius quam verius ab eo indicatur. Nam revera experientiae obiectiva veritas, quam suo idealismo salvam esse prae se fert, nisi in repraesentationibus a nobis ipsis conceptis non consistit; quare aeque ac Berkleius dicere debuit, in solis mentis ideis veritatem inesse[1]. — Ea vero restat inter utrumque diversa ratio, quod Berkleius inde ab exordio res ipsas non agnoscit, aliter, ut vidimus, Kantius.

Quodsi denique hic illa de rerum idealitate argumentatione aliquid contra Humium se profecisse putat, quum scepticismum sustulisse sibi videatur[2]; haec praestantia, uti (num. XIII.) nobis persuadebitur, nulla est.

XII.

Quae de spontaneitate sive de animi facultatum usu et ambitu Kantius copiosius disseruit[3], hisce complecti possumus[4]:

---

1) cf. Platn. l. c. Vorrede, pag. IX: „Hat Kant apodictisch bewiesen, dass Etwas ausserhalb unserer Vorstellungen existire?“

2) vid. Kant. Krit. d. practisch. Vernunft. pag. 92—93.

3) illis criticae partibus quas inscripsit „transscendentale Analytik“ et „transscend. Dialektik.“

4) cf. Garv. l. c. inde a pag. 191.

Φαινομένων repraesentationes sensu externo et interno nobis oblatae animo reflectente diligentius effinguntur, primum quidem *mente*, quae in eo occupatur, ut repraesentationes per sensus sibi traditas in ordinem quendam digerat i. e. certis notionibus concipiat. Hae quadruplicis generis sive quatuor Kategoriarum quae a Kantio vocantur ternae notiones, licet menti a priori insitae, tamen formae per se sunt vacuae et quasi tabulae, quibus repraesentationes inclusae eaeque solae argumenta praebent, secundum illud axioma, omnes de rebus ipsis cogitationes ad perceptionem esse referendas. Hac via ad cognoscenda singula experientiae obiecta pervenimus. Quae quum continua cognitionum series sit, ut harum complexu potiamur, alia animi facultate opus est, scilicet *ratione*. Cuius quidem haec est natura, ut sit principiorum fons et vis, qua ex generalibus specialia intelligantur, et quae nihil aliud agat quam ut scientias mente comparatas ex principiis certis exploratisque concipiat vel in numerum quam minimum reducat i. e. unitate inter se cohaerentes reddat [1]. Quare ratio norma quaedam est, ad quam illae cognitiones destinentur, neque etiam facultas, qua novae aliae veritates constituantur; itaque rationis ideae unitivae — repraesentationum in subiecto unitas, *φαινομένων* in obiectis synthesis, ens denique summum et omnium rerum quasi *πρωτότυπον*, quibus tribus ideis psychologiae, kosmologiae theologiaeque rationales disciplinae constituuntur — valore obiectivo carent [2]).

Postquam hucusque Kantius res ipsas ab nostrae cognitionis ambitu exclusit; omnem nobis porro facultatem eripit, qua ad alias veritates progrediamur, quum animi vis constitutiva sive spontaneitas angustis receptivitatis terminis coercenda sit.

---

1) cf. Kant. Krit. d. rein. Vern. pag. 362.

2) ibid. l. c. pag. 391—93.

Ea quidem ipsa demonstratio, qua eandem fere menti ac rationi vim tribuit, qua praecipuam rationis naturam in eo positam esse inculcat, ut mentis cognitiones excipiat exceptasque uniat, qua igitur rationem pro formali tantum principio habet et revera pro solo mentis quodam complemento, res est gravissima, qua cum prioribus Angliae et Francogalliae philosophis arctissime cohaeret.

Sane rationis est vis critica i. e. qua iudicet, utrum mentis cognitiones legibus logicis conveniant necne; sed ad hanc vim alia accedit eaque multo superior, scilicet metaphysica sive transscendentalis, qua φαινομένοις causas reales vindicet iisque obiectivitatem attribuat atque in ratiocinando eousque procedat, donec ad causam omnium rerum absolutam pervenit. Itaque ratio praeter negativam, quam Kantius ei concedit, etiam positivam vim habet. Quam posteriorem propriam et primariam quum ei perneget, iisdem vitiis cum empiristis sese illigat.

Certe Kantius cuiusdam facultatis homini innatae mentionem facit talis, quae cognitiones appetat multo quidem sublimiores, quam quibus ullum inter res sensibiles obiectum possit respondere, tamen obiective veras [1]). Nihilominus constat, eum hanc rationis prae mente excellentiam non ita plane intellexisse, sed eum speculativam animi vim instrumento recognitionis sive facultati reflexionis parem existimasse [2]). Itaque rationis facultate constitutiva abiecta revera docet, ex duobis fontibus — sensatione et reflexione — omnes cognitiones originem ducere, ita tamen, ut mentis reflexio in solis rebus sensu externo perceptis versetur, itaque ambo fontes in unum tantum veritatis principium coalescant.

---

1) cf. Iacob. oper. Vorrede, pag. 22—23.

2) vid. Friesii de hac re sententiam apud Iacob. l. c. pag. 24.

Haud aliter Lockius, iisdem duabus cognoscendi viis indicatis, rationi nihil reliquit perficiendum nisi ut concludendo mentem adiuvaret ac promoveret eiusque cognitiones inter se distantes uniret [1]). Quemadmodum igitur Kantius, ita iam pridem Lockius specie quidem rationi maiorem prae mente facultatem tribuerat; revera tamen ratione prorsus extincta uterque menti in abstrahendo versanti principatum detulit [2]).

Attamen in hac re diversa aliqua ratio inter Kantium et empirismi sectatores intercedit. Etenim hi menti in abstrahendo occupatae etiam vim transscendentalem in rebus methaphysicis cognoscendis itaque ambitum iusto latiorem vindicabant [3]). Quare Iacobio a nobis assentiendum puto dicenti: „Das Blendwerk, wodurch der Gestalt und Namen vielfach verändernde, in Wahrheit aber immer derselbe Sensualismus und Materialismus zu täuschen gesucht hat, besteht darin, dass man durch fortgesetzte Abstractionen des Verstandes den Begriff des Unbedingten und Uebersinnlichen zu gewinnen vermeinte.“ Kantium contra hanc empirismi fallaciam detexisse non ignoramus, quum ostenderit, mentis facultatem rerum externarum campum excedere non posse. Itaque dicendum nobis est, Kantium empirismi rationem ad veritatem revocasse ac Proteo vincula iniecisse [4]). Atque in hoc ipso Kantii meritum ponendum videtur, quod empirismo integumentis fallaciae nudato meliori philosophandi methodo viam paravit [5]).

Haec igitur Kantii cum Lockio eiusque sociis propinquitas in hac re statui potest, quod pariter atque illi ratio-

---

1) cf. Lock. l. c. livr. IV. chap. XVII. § 2.

2) vid. Iacob. l. c. Vorrede, pag. 11—12.

3) cf. Lock. livr. II. chap. I. § 24.

4) Iacob. l. c. Vorrede, pag. 16.

5) ibid. pag. 23.

nis naturam peculiaremque vim aperte negavit atque, ut illi Polyphemi, uno tantum animi oculo usus est, hoc tamen discrimine intercedente, quod mentis natura accuratius uberiusque explicanda disciplinae logicae bene consuluit, ita ut Hegelius Kantii de mente doctrinam complementum psychologiae Lockianae recte nominet [1]).

XIII.

Kantius quum rationem ut facultatem rerum cognoscendarum syntheticam non recepisset neque ullam veritatem demonstratione sua esset consecutus: princi piumrationis sufficientis, quo veritatum synthesis atque ab una ad aliam transitus fieri solet ac debet, ad assequendum metaphysicae finem vel ad terram coelumque movendum adhibere iam non potuit. Itaque hoc principium nisi legis logicae nullam vim apud eum habebat eiusque valor restringi debebat ac referri ad solas rerum in nobis repraesentationes, quum rerum cognoscendarum obiecta earum tantum repraesentationes ille haberet [2]).

Iam vero nonne Humius cum Kantio convenit, quod illi principio in obiectis experientiae tantum cognoscendis aliquam vim tribuit? Num Kantii sententia, illo principio repraesentationum connexionem in nobis ipsis fieri, differt ab opinione Humii; illud principium esse mere subiectivum i. e. quo res in nobis repraesentatas unire soleamus, neque etiam obiectivi valoris, quo res reales cogitentur? Kantium igitur Humio hac re non praestare quis est qui non videat?

Sane illius principii originem aprioricam contra Humium et Lockium statuit Kantius. At id minimi est momenti, quum ita rerum cognoscendarum coniunctionem obiec-

1) cf. Hegel. l. c. pag. 13.

2) vid. Garv. l. c. pag. 209 num. 2. —

tivam, de qua Humius quaestionem ac dubitationem movit, nequaquam confirmari possit. Itaque Kantium philosophiae suae formale tantum, non vero materiale detrimentum comparasse equidem puto, si illud principium rationis sufficientis esse legem mentis a posteriori vel consuetudine abstractam cum Humio contendisset.

XIV.

Postquam philosophiae Kantianae theoreticae systema ex primariis partibus denuo construximus, quae inter eam et empirismum intercedat interioris necessitudinis ratio, facile cognosci potest.

Etenim quum secundum Kantium veritas sit consonantia cognitionis cum legibus cognoscendi, haec vero consonantia nonnisi in cognitionem necessariam i. e. intelligentiam cadat: summa, in qua tanquam cardine suo philosophia Kantiana vertitur, sententia haec habenda est: quamlibet cognitionem tum demum esse veram ac certam, quum intellectum habeamus, contrariae sententiae cogitationem legibus logicae repugnare. Itaque Kantius iis tantum cognitionibus veritatem vindicat obiectivam, quas excluso contrario esse necessario veras intelleximus, neque etiam iis, quas non praecedente intelligentia, sed actu animi nostri primitivo i. e. eas immediate comitante veras habere cogimur. Quare ut sibi constaret, omnes veras cognitiones ad eas Kantius reduxit, quae aut ab intuitu aut a demonstratione vim suam necessariam traherent. Unde duplex statuit axioma hoc:

1) ad cognoscendum requiri perceptionem et notionem i. e. sensuum et mentis functionem, posthabita sublimiori rationis facultate;

2) nihil esse in intellectu, quod non perceptio ex rebus sensibilibus menti considerandum praebuisset.

Verumenimvero ab hac doctrina ut Lockius differat,

tantum abest, ut eandem cum illa aperte proposuerit. Nam Lockius quoque eas solas cognitiones ut veras admisit, quae aut intuitu aut demonstrationis vi nobis inculcentur. Hac vero inter utrumque incercedente connexionis ratione, non miramur quod ex illo utriusque errore primario eadem consectaria sese explicavere.

Primum enim, quum cognitio sola per se non immediate cum obiecto cohaereat, sed, ut iam Cartesius recte contendit, nostrum ipsorum tantum qualitas sit et, ut Kantius ipse profitetur, ex sola repraesentatione obiecti realitatem unquam extricare nequeamus: sequitur, quae sensibus sese offerunt, res externas a nobis ipsis fictas videri. Itaque ex illo errore necesse fuit oriri idealismum.

Quem quidem idealismum, quippe *Lockii* philosophia adductus, Berkleius docuit — Kantius vero ex illo suo errore *ipse* evolvit, ita ut veritates, a quibus ut certis exordium cepisset, tamen postea deleret. Itaque Kantius, aeque ac Berkleius, philosophiam Lockianam ex sententia Hegelii, ut supra annotavimus, suo idealismo complevit.

Dein vero ex illa falsa sententia, omnes cognitiones intelligentiae vi esse confirmandas, sequitur, de rerum historicarum metaphysicarum veritate semper dubitationem esse movendam, quum illarum rerum scientiam neque immediatam testimonio sensuum neque apodicticam argumentatione logica habeamus, sed moraliter tantum certam.

Quare Humius empirismum persequens fieri non poterat quin ad scepticismum perveniret i. e. quin contenderet de nulla omnino veritate certos nos fieri posse.

Ita vero et Kantium reprehendimus, quod nullam cognitionem esse obiective veram demonstravit ideoque nullam veritatem nobis praebuit. An Kantius ullam realitatem necessario et obiective certam suis notionibus sive categoriis

evincere potuit? Quin imo veram sententiam hisce innuit Platnerus [1]):

„Ist nicht die Gewohnheit, von welcher Hume Alles herleitet, ebenso tief in dem Wesen unseres Vorstellungsvermögens gegründet, als die Kategorien? Ist es für diese Art von Nothwendigkeit nicht einerlei, ob ich die Einrichtungen unserer Natur, vermöge deren wir uns Causalität in der Welt denken, in 12 Kategorien, oder ob ich sie in einer Anlage zur Ideenverbindung suche, durch welche es mir unvermeidlich wird, Causalität zu denken? Sind nicht diese Anlagen zur Ideenverbindung und mithin zu dem Begriffe „Ursache“ so gut a priori wie die Kategorien?“

Neque minus probanda putamus, quae alibi apud eundem legimus [2]):

„Dass Kant Etwas über Hume gewonnen habe, will mir durchaus nicht einleuchten, indem seine Philosophie doch nicht über die Subjectivität der Erkenntniss hinauskommt, welche die Sceptiker ebenso wenig als die Wirklichkeit der Vorstellungen leugnen.“ —

XV.

Falsa veritatis definitione statuta Kantius inde ab initio nihil nobis sperandum proposuit nisi rerum nihilismum neque alios fructus obtulit quam quos philosophia Angliae tum empirica tum sceptica praebuerat. Quin etiam eum ita rem instituisse contendimus, ut empirismum a priori salvum retineret.

Nam quum philosophi Angliae illud placitum „nihil esse in intellectu, quod non antea fuisset in sensibus“ sequentes affirmarent, omnes cognitiones, cum quod ad materiam tum quod ad formam attinet, a posteriori offerri: eius

1) vid. Platn. l. c. pag. 342.

2) ibid. pag. 368.

falsi axiomatis consecutionibus in dies magis evolutis, Humius tandem omnem veritatem labefactavit. Kantius quidem iam ita ab illis abhorret, ut cognitionis formam a priori esse nobis insitam statuat, sed hoc ipso nihil aliud effecit, quam ut empirismum a priori induceret itaque omnes empirismi errores consecutionesque philosophiae suae coniunctim implicaret et aposterioricam animi in rebus cognoscendis imbecillitatem, quam postremo Humius statuerat, explicandis animi nostri vacuis formis a priori comprobaret. Kantius igitur fieri non posse a priori demonstravit, ut ullam veritatem propriis animi viribus consequamur ac positive evincere studuit, veritates, quas Humius per consequens tantum putaverat incertas esse, omnino per se non posse a nobis intelligi. Quare et ipse professus est, se id egisse, ut navi (sc. empirismi), quam Humius in scepticismi littus appulisset, ubi iam in eo esset, ut putresceret, nautam praeficeret talem, qui universi maris notitia et pyxide nautica exstructus, exploratis gubernationis principiis usus, illam dirigeret ubicunque vellet [1]. — Quibus allegorice dictis id expressisse videtur, se directe et positive ita philosophiam suam instituisse, ut dimetienda animi nostri apriorica natura ostenderet, obiecta et psychologiae et kosmologiae et theologiae rationalis intelligentia nostra attingi non posse. Itaque inde eum profectum esse existimamus cum Reinholdio [2], ut errores empirismi, idealismi, scepticismi denique suae doctrinae immisceret.

XVI.

Kantii doctrinam omni veritate obiectiva nos destituisse satis superque vidimus. Itaque apte dicit Iacobius [3]: „Kantii τὸ ὄν nihil aliud esse nisi notionem vanam, cui obiectum

---

1) Kant. „prolegom." pag. 17.
2) cf. Reinh. l. c. tom. II. pag. 69.
3) Iacob. oper. tom. IV. pag. 37.

aliquod reale respondere ratione humana demonstrari non possit.“ Quin etiam rerum, quas ipse sensus internus dictat ut veras accipiendas, veritate in dubio posita, ipsius nostri „Ego“ realitatem, si sibi constare vellet, negare debebat, quippe quam nulla demonstratione confirmare possemus. Id tamen ens reale pernegari vel tolli per se non potest, utpote necessitate subiectiva stabilitum. Itaque solum quodvis individuum cogitans tanquam reale restitit, quasi quodam fato in rerum obscurarum universitatem iniectum. Quod quum nullius praeter se obiecti realitatem atque auctoritatem agnoscere oporteat, potentia omni modo absoluta vel potius licentia effrenata praeditum individuum cogitans ex entibus fictis sive imaginariis mundum quendam sibi componere potest ac debet. —

Itaque in promtu est, philosophiam hanc Kantianam morum corruptionem provocare potuisse aeque pestiferam, atque in Francogallia sensualismus progenuerat, quum cuivis individuo nimiam in agendo licentiam permitteret. Qua de causa Hegelio assentiendum putamus dicenti, Kantii doctrinam eidem in rebus ethicis favere absoluto empirismo, qui *εὐδαιμονίσμῳ* exprobraretur [1]).

Ne multa, quum theoretica Kantii philosophia dei existentis, libertatis nostrae immortalitatisque pariter ignara sit atque auctor nefandi libri qui inscriptus est „système de la nature“: manifestum est, eâ morum depravationi viam patefieri tam latam, quam in Francogallia empirismi consecutionibus practicis.

Quae tamen mala e philosophia Kantiana celerrime oriunda quod in nostra patria haud ita late apparuere, id interiori eius propinquitati cnm philosophia Francogallorum nihil detrahit, sed aliunde repetendum est. Etenim quum nostra natio non tam prona esset ac levis ad exigendam

---

1) Hegel. l. c. pag. 12.

vim pestiferam, quam ex illa doctrina in vitae usum redundare oportebat; tum hanc futuram perniciem aliqua ex parte praecavit atque inhibuit practica Kantii philosophia, de qua ut disseramus restat.

Cap. tert.

De practica Kantii philosophia.

XVII.

Kantius quamquam saepius gloriabatur, criticismum suum sive idealismum transscendentalem philosophandi methodum esse unice rectam; tamen eum effecisse contendere non dubitamus, ut omnem philosophiam philosophia deleret, mentem mente tolleret, omnes denique cognitiones ad nihilum redigeret. Quae quidem miserrima rerum conditio sublevari non potuisset, nisi ratio mortem usque simulans e sepulcro artificioso sua ipsius vi prorupisset multo maiore quam antea facultate munita, tanquam victrix alta voce exclamans: „En ego! Omnia renovo ac restituo [1]".

Nimirum Kantius postquam methaphysicae, ut philosophiae suae theoreticae satisfaceret, ruinam adduxit, practicam quandam philosophiam, ut metaphysicae bene consuleret opemque exoptatam ferret, substituit [2]). Etenim rationis vi practica eas veritates et realitates, quae theoretica argumentandi via eum fugerant ut umbrae, recuperare studebat, hanc quidem argumentationem afferens:

Intellectui humano duo quasi campi subiacent discurrendi, unus earum notionum, quas natura i. e. rerum sensibilium complexus intuenti praebet, alter, quem notio liber-

---

1) cf. Iacob. oper. Vorrede, pag. 18.
2) ibid. pag. 44.

tatis circumscribit. Pro utriusque generis notionibus intellectus a priori cognoscendi leges constituit, — unde philosophiam in theoreticam et practicam dividimus — ita quidem, ut priorum notionum ad intelligendum momentum mens theoretice adhibeat, notione vero libertatis ratio ad cognoscendum utatur practice[1]. Ratio igitur, quae theoretice nihil omnino valeat, voluntati quasi domina imperat eique principia praecipit practica, ad quorum normam vita dirigi omnesque actiones institui debeant. Itaque summum formale principium aprioricum, quo necessario voluntas dirigatur, sic concipi potest:

> Eam regulam in agendo sequendam esse, quae omnibus praecipi itaque tanquam norma universalis in constituendis legibus haberi possit.

Haec summa lex, quasi dux vitae et officiorum magistra, sive hic imperativus kategoricus postulat:

1) per se voluntatis libertatem, quoniam illa rationis natura practica et liberum arbitrium utpote notiones reciprocae sibi invicem respondent.

Ita quum Kantius rationi aliquam vim practicam tribuisset, fieri non poterat, quin principium rationis sufficientis, quod prius subiectivam ideoque invalidam legem mentis habuisset atque ad veritates confirmandas repudiasset, revocaret ad usum practicum. Cuius principii ope tum a realitate liberi arbitrii ad reliquas veritates necessarias pergere conatur hoc modo:

Quum libera nostra voluntas id spectare debeat, ut illi imperativo kategorico convenienter agat i. e. pro sola illius legis observantia reverentiaque, et quum virtus ita probanda ut summum bonum omni labore assiduitateque nobis appetenda sit, ratio practica porro requirit:

2) *et immortalitatem animi*, quoniam in hac vita plena

---

1) vid. Kant „Krit. d. Urtheilskraft", Einleitung pag. XVII.

et perfecta nostrae voluntatis cum summa lege consonantia, in qua ipsum summum bonum ponendum sit, nequaquam gaudere possumus;

3) *et existentiam dei*, quoniam virtuti ut summo bono non solum honesta ac sancta, sed etiam beata vita convenit, haec vero beatitudo nobis comparari nequit nisi ab ente supremo, quippe quod eam pro nostra dignitate praestare et possit et velit.

Hoc modo Kantius ab imperativo conscientiae profectus, libertatis notioni principio rationis sufficientis adiuncto, hoc duplex perfecisse sibi videtur [1]:

1) ut reliquas eiusdem generis veritates metaphysicas — immortalitatem animi et existentiam dei — confirmaret; tum

2) ut harum veritatum obiecta transscendentalia cum rerum naturalium ordine connecteret, quum prior veritas valorem obiectivum ab actionibus externis acciperet.

Tali argumentatione Kantius a realitatibus physicis ad metaphysicas, quas immenso spatio inter se distare theoretica philosophiae parte docuerat, transitum fecisse sibi visus est ac simul quaestionem gravissimam, quomodo a priori iudicia synthetica fieri possent, practica rationis vi plane solvisse [2].

Iam vero hoc philosophiae practicae systema infirmo et falso fundamento collocatum esse itaque ad ruinam quam maxime pronum, alienum est a proposito demonstrare. Sed ut tractemus superest, quae iudicia vestigiaque huius philosophiae practicae frustra suppeditatae Kantius apud Anglos et Francogallos significata invenerit. Nimirum facili coniectura intelligi potest, illorum, cum quibus theoreticae philosophiae intima propinquitate eum coniunctum esse

---

1) cf. Kant. Krit. d. Urtheilskraft — Einl. pag XIX. et pag. 461.
2) cf. Garv. l. c. pag. 218.

perspectum iam habemus, etiam ex hac parte aliquam cum eo esse necessitudinis rationem. Iam ad singula accedamus perstringenda connexionis momenta.

XVIII.

Primo rerum obtutu apparet, Kantium, quum theoretica sua philosophia ne ullam quidem veritatem obiective certam invenisset, nisi ab aliquo dogmate accipiendo viam iam non potuisse petere. Quod et revera factum est. Videri enim non potest, quo iusto argumentationis titulo Kantius summam legem moralem evolverit. Imo quum rationi pro suo subiectivismo praebere non posset, unde vim practicam sumeret, Kantius, inverso rerum ordine, petitioni principii sese implicans hanc vim dogmatice ei vindicavit.

At vero iam Humius eum antecessit, qui existimaret vitam esse instituendam ac dirigendam ad normam earum veritatum, quas consuetudo i. e. rerum natura et hominum inter se conditiones ut necessario sequendas praeciperent itaque necessitatis ratio tanquam dogmata rigida et immutabilia nobis proponeret [1]).

Practica igitur philosophia Kantiana dogmatismum sapit, cui eidem in praxi addictus erat Humius.

Dein persuasum habemus, Kantium singularum inter se veritatum necessariam connexionem non satis comprobavisse. Quare tota eius demonstratio rueret, nisi maiorem vim a communi omnium fide, quam ab argumentis allatis sumeret [2]). Quin etiam ipse Kantius declarat, sensu communi tantum potuisse profici, quantum ratione practica [3]). At vero tum nihil habemus, cur eius philosophiam moralem practicae Humii doctrinae praeferamus, quippe qui quascunque sensus communis postularet veritates in praxi i. e. ad

---

1) cf. Rixn. l. c. § 113.

2) cf. Platn. l. c. part. I Vorrede pag. VI.

3) vid. Kant. Kritik d. reinen Vern. pag. 858.

vitae rationem instituendam sine ulla dubitatione admitteret. Itaque quo iure Kantius Humii adversarios, qui in eo refutando ad sensum communem provocarent, vituperare potuit? Profecto nullo! —

XVIIII.

Kantius, ut modo illustravimus, statuit, hominem de ethica actionum qualitate iudicaturum exemplum legislatoris sequi debere, ac contendit, eius actiones integritatis et honestatis speciem tum prae se ferre, quum absque omni animi perturbatione i. e. neque suae ipsius neque aliorum utilitatis ratione habita deliberaverit, quid aequum sit et rectum.

Non aliter Smithius hominem aliquam actionem suscepturum ad conditionem spectatoris tranquilli et sinceri i. e. nullo impulsu moti adducit atque existimat, rationem humanam ita esse recti iudicii capacem, si procul de actione perficienda cogitet, hocque iudicium eo propius ad veritatem accedere, quo altiori loco homo versetur i. e. quo minori aut interna aut externa vi moveatur.

Itaque quamvis longe Smithius a Kantio discrepare primo adspectu videatur, tamen accuratius re perpensa eandem fere apud utrumque invenimus legis moralis formulam, quum spectatoris apud illum et legislatoris apud hunc pares sint partes eademque ad diiudicandas actiones ratio.

Pari fere modo Wollastonius [1]) praecipit, ut unusquisque ante actionem suscipiendam examinet, an nulli veritati aeternae repugnet. Haud secus Kantins docet, normam agendi petendam esse a tali principio, secundum quod leges omnino constitui possint ac debeant, quod igitur veritatem involvere oporteat omnibus probatam.

Ergo aliqua huius cum illo propinquitas ex hac parte statuenda videtur, quum veritas ab omnibus recepta

---

1) vid. Rixn. l. c. pag. 141; Garv. l. c. pag. 172.

vel recipienda et veritas aeterna idem fere principium formale philosophiae moralis vel practicae significent.

XX.

Sane hoc prae ceteris Francogallis Kantium praestitisse non negamus, ut interiori conscientiae natura et hominis libertate retenta statueret, suas cuique actiones esse imputandas; quum illi libero arbitrio prorsus abiecto in fati cuiusdam servitutem nos abripuissent libidinumque licentiam effrenatam sanxissent. — At iam Russavius ut has aequalium suorum opiniones pravas et perniciosas cohiberet magnam operam dedit[1]), pari quidem modo ac postea Kantius. — Nam philosophiae Lockianae principiis innisus quum negare deberet, dei, libertatis humanae immortalitatisque cognitionem philosophicam acquiri posse: alia via parum philosophica has veritates confirmare studebat, scilicet asserendo, sensu quodam morali penitus inhaerente nos ad illas amplexandas commoveri.

Huius sensus si explicare volumus quae sit peculiaris vis, dicendum nobis est, eum idem significare apud Russavium, quod apud Kantium rationis practicae imperium, nempe: conscientiae dictamen. Quod quidem dictamen secutus ille firma fide eas veritates recuperat, quae ut firme credantur et teneantur, Kantii ratio practica postulat.

Primam igitur veritatem credendam ille proponit hisce expressam[2]):

> „Ie crois donc qu' une volonté meut l'univers et anime la nature; voilà mon premier dogme ou mon premier article de foi."

Cui addit alteram hanc[3]):

---

1) cf. Rixn. l. c. § 102.

2) vid. „Oeuvres de I. I. Rousseau — à Amsterd. 1762 —" tom. VIII. pag. 30.

3) ibid. l. c. pag. 33—34.

„Si la matière mue me montre une volonté, la matière mue selon de certaines loix me montre une intelligence; c'est mon second article de foi.“

Hos duos fidei articulos, quum ad eiusdem obiecti diversas tantum qualitates, nempe ad dei libertatem et intelligentiam sint referendi, in unum coalescere videmus.

Dein tertiam veritatem fidei subiectam indicat hanc[1]):

L'homme est donc libre dans ses actions et comme tel animé d'une substance immaterielle; c'est mon troisième article de foi.“

Ex his tribus vel potius duobus fidei articulos omnes reliquas veritates accipiendas facile posse erui existimat[2]). Quarum tamen unam, immortalitatem animi, ipse nonnullis locis inculcat, v. gr.[3]):

„Plus je rentre en moi, plus ie me consulte, et plus ie lis ces mots écrits dans mon ame: „sois iuste et tu seras heureux;“

et alibi[4]):

„Helas! ie le sens trop par mes vices, l'homme ne vit qu' à moitié durant sa vie, et la vie de l'ame ne commence qu' à la mort du corps;“

denique[5]):

„Ils (les bons hommes) seront dedommagés dans une autre vie.“

Unde satis patet, apud Russavium articulos fidei non solum tot esse quot apud Kantium postulata rationis practicae — quae alio nomine etiam ab illo articuli fidei vocantur — sed etiam in iisdem atque haec versari obiectis.

Sane suo uterque proprio ordine et modo has verita-

1) Oeuvres de I. I. Rausseau tom. VIII. pag. 30.

2) vid. Russav. l. c. pag. 48.

3) ibid. pag. 51.

4) ibid. pag. 53.

5) ibid. pag. 55.

tes credendas nobis proposuit, ita quidem, ut ille imprimis e rerum externarum contemplando ordine ad statuendos illos articulos fidei pervenerit; hic contra longe alia demonstratione ab imperativo categorico ad libertatis veritatem provectus tum immediata conclusione duas reliquas veritates deduxerit. Neque etiam negare in animo est, Kantium, quae alter obscurius disseruerat, ea strictiori et subtiliori argumentatione confirmavisse.

VITA.

Natus sum Henricus Bachus Gelriae anno MDCCCXXX pridie Calendas Iunias patre Antonio matre Adelgunde e gente Wedershoven, quos valde laetor adhuc esse in vivis. Primis literarum imbutus elementis gymnasium frequentavi quatuor per annos primum Coesfeldiae tum Richlinghusii. Anno MDCCCIL maturitatis ornatus testimonio Monasterii Guestph. in academia scholis per triennium interfui: philosophicis V. V. Cl. Cl. Deycksii, Esseri p. m., Grauertii p. m., Rospattii, Schlueteri, Winiewskii; theologicis V. V. Cl. Cl. Berlagii, Bispingii, Cappenbergii, Dickhoffii p. m., Puengelii, Reinkii. Tum seminarii clericalis episcopalis alumnis adscriptus sacrisque ordinibus intra annum initiatus magistri munere functus sum primum in collegio Augustiniano Gaesdoncensi, dein Gelriae in schola latina, cui octo per annos rector praefui. Anno tandem superiori studia denuo recepturus Bonnam me contuli in almam Musarum sedem ibique per semestre audivi lectiones V. V. Cl. Cl. Calkeri, Heimsoethii, Iahnii, Kampschultii, Knoodtii, Ritteri, Simrockii, Springeri. Quibus omnibus viris clarissimis bene de me meritis gratias ago quas debeo maximas.

THESES.

I. *Veritatis notio ita est definienda, ut sit consonantia cognitionis cum rebus.*

II. *Animi humani praeexistentia reprobanda.*

III. *Kantiana rationis humanae distinctio in theoreticam et practicam minime est philosophica.*

IV. *Errat atque ad scepticismum pervenit, qui axiomati: nihil est in intellectu, quod non antea fuerit in sensibus: vim tribuit universam atque absolutam.*

V. *Anno DCCC p. Chr. n. imperium romanum non renovatum, sed translatum tantum est ad Carolum Magnum.*

VI. *Horat. epod. XVI. inde a versu 52 usque ad versum 62 ordo versuum, qui est in codicibus, cum Iahnio tuendus.*

Bachus, Heinrich
Philosophiae Kantianae quae sit connexio et propinquitas cum philosophia Francogalliae et Angliae XVIII saeculi